



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Et Capitulo Turonensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

394 Epistolarum Innocentij III.

propter prolixitatem superfluam in hac pagina prætermisimus annotare, de communis fratum nostrorum consilio, auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra, utraque parte præsente, prædictas prædecessorum nostrorum sententias confirmantes, decernimus, statuimus, & sancimus ut Dolen. Ecclesia perpetuis semper temporibus suffraganea plenè subjaceat Ecclesia Turonen. & debitā ei tanquam suæ veræ metropoli reverentiam & obedientiam cum aliis suffraganeis Ecclesiæ Turon. impendat, nec unquam Dolen. Episcopus ad Palliū usum aspiret. Et ne causa toties diffinita de cetero valeat in contentionis scrupulum refricari, si qua posthac instrumenta vel argumenta pro parte Dolen. Ecclesia possent quomodolibet inveniri, nos auctoritate apostolica nihil ea penitus valitura censemus. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, Kal. Iunij, Indictione secunda, incarnationis dominicae anno MCXCIX. pontificatus vero Domini Innocentij Papæ tertij anno secundo.

ARCHIEPISCOPO ET Capitulo Turonensi.

*Epiſt. 83.
De eodem ar-
gumento.*

AD convincendam malitiam & im-
probabilitatem eorum qui contra ra-
tiones & jura venire non metuunt, sedes
apostolica consuevit rigorem & severi-
tatem aliquoties temperare; ut vincens
in bono malum, omnem auferat mate-
riam murmurandi. Hoc enim quidam
prædecessorum nostrorum in cauſa quæ
vertebatur inter Turon. & Dolen Eccle-
sias fecisse noscuntur, qui contra res ju-
dicatas & per sententias sedis apostolicæ
ſepius diffinitas Dolensi audientiam in
judicio præliterunt, cum contra res ju-
dicatas nullo juris remedio valeat atten-
tari; ita quod & judicis inferioris senten-
tia, quæ legitima non est appellatione
suspensa, postquam in rem transierit ju-
dicatam, ut contra jus litigatoris prola-
ta, retractari de jure non debet, ut sic fi-
nis litibus imponatur. Nos quoque post-
quam causam illam, quæ commissa fue-
rat à bonæ memoria Alexandro & Lucio
prædecessoribus nostris inter ipsas Ec-
clesias super possessione tantum subje-
ctionis & libertatis, rationibus utriusque
partis & allegationibus cum instru-

mentis & attestationibus diligenter au-
ditis & cognitis, pro Turonensi contra
Dolensem canonice terminavimus, ad
abundantiorem cautelam benignam ad-
huc ipsis Dolensibus indulsimus faculta-
tem, ut quoniam in examinatione illius
causæ multa fuerunt in diversis articulis
coram nobis & fratribus nostris utrin-
que de proprietate proposita, summa-
tim, non quasi item contra priores sen-
tentias contestando, sed ut ex his quæ
fuerunt actitata, de proprietate, si pos-
sent, aliquid plenius & efficacius allega-
rent, per quod forte posset ostendi an
aliquid fuerit omissum, sicut ipsi fre-
quentius afferuerant, propter quod ipsa
Dolen. Ecclesia in prioribus judiciis re-
manserit aliquatenus indefensa. Sed cum
præter illa quæ prius multipliciter alle-
gaverant, nihil postea commodiū alle-
garent, nos ex allegationibus ipsis nihil
penitus audientes quod contra vires
priorum sententiarum animum nostrum
posset aut deberet aliquo modo movere,
diatas prædecessorum nostrorum senten-
tias confirmavimus, statuentes ut Dolen.
Ecclesia tanquam suæ veræ metro-
poli perpetuis semper temporibus suf-
fraganea plenè subjaceat Ecclesiæ Tu-
ronen. nec unquam Dolen. Episcopus
ad Palliū usum aspiraret. Et ad omnem ma-
litiam convincendam decrevimus ut ne
lis toties diffinita posset ulterius refricari,
si qua post hæc argumenta vel instru-
menta pro parte Dolen. Ecclesia con-
tingeret inveniri, tanquam nihil penitus
valitura, omni prorsus utilitate care-
rent. Ut autem de ordine processus istius
nulla possit in posterum dubitatio sub-
oriri, has vobis literas ipsum processum
compendiosius continentis duximus in
testimonium concedendas. Datum La-
terani IV. Nonas Iunij.

REGI FRANCORVM.

VEntilata diutiis & quasi frustra *Epiſt. 84.
ſepius ſopita contentio, quæ inter De cadem te.*
Turonen. & Dolen. Ecclesias vertebar-
tur, usque adeo statum generalis Eccle-
siae haec tenus molestavit, ut non ſolum
Dolen. doleret Ecclesia, & metropolis
Turon. turbaretur, sed prædecessorum
nostrorum aures utriusque ſepius quere-
la pulsaret, & ipsi frustra quodammodo
viſi fuerint laborasse. Nam etſi frequen-
ter ad Romanam curiam quæſtio ipsa